

3
IN CYCLOPES CHIMI-
cos Tuffani Ducreti Me-
dici hexastichon.

*Impleat ut loculos fulvo cinerarius auro
Cycl. ps. incersas igne retorret opes:
Et plumbum, stannū, aes, argentum fingit in aurum:
Ex igne hoc tandem nil nisi fumus abit.
Discite, Cyclopes Chimici, non fallere quengquam.
Hac totus vester deperit arte labor.*

Eiusdem.

*Omnia qui fulvum, ut Midas, trāsformat in aurū
Aurificem Midam perdet egena fames.*

In eisdem Io. Antonii Sara-
ceni Medici hendec-
asyllabi.

*Quid vanus faciat Chimista queris
Dum diuinum opus artibus nefandis
Cyclopum miser ardet amulari:
Eccum quā bonus sit emulato:
Ex nilo Deus omnia creauit,
Hic verò sua quicquid & propinquus
Vsq. iam possidet in fauillam inaniem
Ac tandem nihilum miser reducit.*

4
In eodẽdẽ alius Medicus.

Nil non flamma potest; Solem Solisque colores

Elicit è Luna Mercurioque vago.

Fundit opes, rivis fluit vnda metalli,

Artificemque suum, sola beare potest.

Id solers Chimia facit ars (si credere fas est)

Quem fumans fornax nocte dieque tenet.

Sed dũ cuncta potest, dum nil non præstat, id ipsum

Præstat nil, in quod vertere cuncta potest.

Eiusdem.

Omnia qui vacuas Chimicus convertit in auras

Ammon aurificem dicere iure licet?

In eodẽdẽ alius.

Cernitur hic verè fictus Lapis illo Sophorum,

Quem sua consumens quaris avarus iners.

In eodẽdẽ Io. Antonii Fenoti
Medici tetraſtichon.

Arte elementa sua Chimicus vertisse metalla

Dum putat, imprudens vertere se reperis.

Terrenas etenim tanquã consumit in auras

Divitias, & quã terraa cuncta tenet.

Eiusdem.

Mentre col soffio transformar crede


Mercurio

5
*Mercurio in Luna, ouer nel suo germano
Del folle error s'accorge esser mercede
Beccarsi i gessi l'Alchimista insano
Ma di tanta iattura non s'auede
Il miser ne d'hauer soffiato in vano
Pria che la robba à un tempo & il ceruello
P'el camino ito sia del suo fornello.*

Quadrain.

*Soufflez, enfans, ie vous supplie,
En toute espeece de metal:
Puis que la fin de l'Alchemie
Est le chemin de l'hoſpital.*





7
Ad Lectorem beneuolum
Iacobus Aubertus
Medicus.

NEmireris, quæso, lector beneuole,
quòd post Georgium Agricola,
& Thomam Erastum eruditissimos vi-
ros, quibuscum non sum comparandus,
de metallorum ortu rursus scripserim.
Nulla sanè res alia me commouit id mo-
liri præter Chemistarum peruicaciã, seu,
vt veriùs dicam, quæ ipsorum mentes
occæcauit dementia. Verumenimvero
à turpi auaritia, atque auræ sacra fame
oritur hæc mentis alienatio, quæ tractu
temporis ad summam perducit rerum
inopiam, vnde tandem procedit intole-
rabilis miseria. Hoc enim Chemistis non
paucis accidisse satis superque liquet, qui
cum non solummodò aurum suum & ar-
gentum, sed & fortunarum reliquum
sufflando decoxerint, tandem miseri ad
summam perducti fuerint pauperiem.

8
Proinde nonnulli saponarii euadunt, alii
Medici: vnde ab hisdē natū est proucr-
biū, Chemista saponarius, aut Medicus.
Verū huiusmodi medici nō à medēdo, sed
per antiphrasim, quōd arte nullis medeā-
tur, dicēdi sūt: quīq; hodie Tartarci seu
Paracelsici nuncupantur, quōd Philip-
pi Paracelsi Theophrasti sint discipuli.
Hic autē noua istius medicinae, qua de-
plorati Chemista existūt medici, primus
fuit author, aut, vt verius dicam, dia-
bolus. Testantur enim non pauci, ac prae-
sertim Suauius Gallus & Thomas Era-
stus hunc Paracelsum fuisse impium &
perditissimum hominem. Addit etiam
Erastus vir pius fidēq; dignus, qui eius
imposturas impietatisque accuratissime
examinauit, ipsum fuisse magum, atque
diabolum appellare socium consueuisse.
Praeterea sceleratus iste libro de matri-
ce inscripto, perspicue horrendam dete-
git impietatem suam, vbi verba Dei tur-
pissime

9
piſſimè peruertit. Huc accedunt flagi-
tiosi hominis impudens solita tum scorta-
tio, tum temulentia, quæ libèſ prætereo,
quòd ſclerum, quibus affinis fuit, eſſent
omnium minima. In ſumma, horrendum
naturæ monſtrum fuit. Quare demoni-
cam fuiſſe medicinam, qua Chemiſtæ me-
dici dicuntur, nemini dubium ſit. Pro-
pterea Thomas Eraſtuſ medicorū phi-
loſophorūque noſtri temporis ſine con-
trouerſia præſtantiffimus, ad eò ſolenter
ingenioſè que ipſū refutauit, ut ruruſum
de eius fallacia ſyncophantiâq; quicquã
agere ſuperuacaneum nobis fore videa-
tur. Veruntamen inſignia duo pharma-
ca, quæ hodie Paracelſicis noſtris uſita-
tiora ſunt, & præſertim hoc in loco, exa-
minare nihil fuerit inutile: quorū unum
valde periculoſum eſt, alterum abſurdū,
& planè ridiculum. Prius Ladanum
vocant, multum tamen & viribus &
ſpecie ab eo discrepãſ, quod ex ciſto cli-
citur.

to
citur. Huius autē meminit Dioscorides
libro primo de medicinali materia. Siqui
dem, inquit, cisti frōdes pascuntur capra
hircique, pinguitudinem conspicuē bar-
ba carpunt, & suo lentore villosis cruri-
bus adhaerentem reportant, quam de-
pctentes incolae, colantesque cogunt in
offas, & ita recōdunt: cuius vires si quis
postulet, Dioscoridem ipsum ibidem con-
sulat: ubi plus satis explicatur. Posterius
verò, quod Paracelsicorum est, quid sit,
haud plane intelligo. Veruntamē ex hu-
ius effectis vel opium, vel aliud quippiā
huiusmodi pharmacū esse cōiicio. Nā exi-
gua dosi mirē mēbra stupefacit, somnum
condiliat, dolores demulcet, alia denique
praestat, & eadem quae opium, aut nar-
coticum aliud quiduis. Ceterum verius,
meo iudicio, nostris Gallis, Las-d'aller,
quā Ladanū dici dignatur: quod stupe-
faciēdo spiritus, caloremque nativū extin-
guendo musculosis nervosisque partibus


motum adimat. Quare ab eo caueat omnes, & maxime arthritici, quibus ad sedas articulorum dolores à Paracelsis id exhiberi utrinsecus solet. Nō desunt hīc, puto, qui huius Ladani mirificarū viriū oleorumq; relaxatiū suo nō paruo malo periculū fecerūt. Sed fœlix est (ut dici solet) quem faciunt aliena pericula cauē. & itē, Fœliciter sapit qui alieno periculo sapit. Verū de hoc venerabili pharmaco plura non dico: sed mox ad alterum planè ridiculum progredior, quod Paracelsi quartana laborantibus exhibere solēt, atq; istud Cinerē oculorū cæcri vocāt. Duobus autē modis id absurdū mihi videtur. Primū, quod siccitate sua & acrimonia quartanā augeat febrē. Nā à similibus singulos morbos auget, & à contrariis decrescere omnibus dogmaticis medicis in cōfesso est. Atqui quartana febris affectio sicca est, ratione sua causa nēpe humoris melancholici, qui natura

siccus & terrestris est. Cinis quoque
 omnis cuiuscunque sit rei, semper siccus
 existit. Itaque februm quartanarum ci-
 nis oculorum cæci haud remedium est,
 sed potius illas intendit, quemadmodum
 plures forte non hinc procul, quibus ex-
 hibitum fuit hoc pharmacum, docuit ex-
 perientia. Deinde plusquam ridiculi
 sunt Paracelsici, qui ad quartanae cura-
 tionem una dosi sesquidrachmam huius
 cineris cum aliis mixtam semel aegrotan-
 ti exhibent, cum tot cancrorum oculos vix
 totus suggererit lacus Lemanus. Sed
 valeat isti boni homines cum suis ineptiis
 & imposturis. His accedunt prope Em-
 pirici, quorum tanta hodie accrevit tur-
 ba, ut bonum medicorum nomen propemo-
 dum obruerit. Horum autem duplex ha-
 betur genus: unum scilicet, omnium disci-
 plinarum medico maxime necessarium,
 (si Hippocratici & Galeni credimus) ac-
 que adeo primorum grammatices rudi-
 mentorum

mētorū imperitiſſimum: cuiusmodi ſunt
 tonſores, aliptæ, rhapopolæ, obſtrices,
 clinicæ mulieres, ac agrorum miniſtri,
 atque agyrta omnes, quos Itali Char-
 latanos vocant, quibus etiam annume-
 rantur pharmacopolæ, medicamēta om-
 nis generis citra medici conſilium exhi-
 bentes. Quoniam autem ſoli medicinæ,
 vt oſtendit Hippocrates, nulla pœna in
 rebus publicis ſtatuta eſt, præterquam
 ignominia, ideo medicina omnium ar-
 tium præclariffima hodie vilis habetur.
 In Monſpelio medicinæ academia tum
 celeberrima tum clariſſima hætenus cõ-
 ſtitutum eſt, vt ſi quis horum nebulonum
 reperiat, qui ſe ementiatur medicū, is
 publicè rapiatur, mox in aſinū ſtrigoſum,
 & (ſi inuenitur) ſcabioſum ſublimis attol-
 latur, auerſuſque tota vrbe circumduca-
 tur, ſcõmatis vndique laceſſatur, conſpua-
 tur, pulſetur, omniſque generis ſordi-
 bus cõſpurcetur: poſtremò expiata vr-

be eiiciatur. Alii sunt præterea Empiri-
 ci, qui medicos audentius ementiuntur.
 Cuiusmodi sunt scientiæ naturalis & lo-
 gices imperiti, quorum gratia non desi-
 nunt in veros medicos, qui à veteribus
 Physici dicebantur, probra illa incidere,
 quæ Plinius in sui tēporis imperitos pro-
 pe omnes Logiatros, Themissionses, The-
 salos, ore plus quàm tragico iaculatur. Ho-
 rum autē quidā præsertim callidiores,
 parasiti existunt: alii verò adultores,
 & logodædali seu garruli, qui verbo-
 rum tantum multitudinē ægrotos curāt.
 Norunt enim imperitum vulgus & cla-
 rum, verborū dulcedine & lenocinio, ut
 pisces hamo, decipi. Verū enim vero ave-
 ris peritisq; medicis haud distinguuntur
 isti, nisi publicis disputationibus, & spe-
 cimine vniuscuiusque ingenii palā dato,
 ubi sanè doctis omnibus luceat doctrinæ
 splendor, quorum tantum interest litēra-
 tos ab ignavis discernere. Quinetiam si

in bene morata institutaque ciuitate ne
 mini licet, non cerdoni quidem, aut vilis-
 simo cuique artificei artem exercere sua,
 cuius specimen aliquod non ediderit,
 quod omnibus in illa arte primoribus sa-
 tisfaciat, cuius vile est subiectum: minus
 multo sare cuiquam medicum se profite-
 ti, propter subiecti medicinae, nempe hu-
 mani corporis dignitatem, danda est li-
 bertas. Quis, nisi homo brutus, corium,
 aut pannum humano anteponet corpori?
 neminem equidem existimo. Cum igitur
 ita sit, videant homines, qui sapunt, cui
 se medico committunt, ne videlicet pluris
 faciant vilia mechanicorum subiecta,
 quam sua ipsorum corpora. Quoniam
 autem de metallorum causis & ortu co-
 tra Chemistas nobis agere propositum,
 ideo quae primum ea sint, & quot habe-
 tur, deinde omnes singulatim persequi
 causas operae pretium duximus.





IACOBI AV.

BERTI VINDONIS

DE CAUSIS ET ORTV ME-

tallorum contra Chemistas

breuis & dilucida

explicatio.



Ameti ex notione nomi-
nis & etymo dicatur me-
talla, quæcunque in terræ
visceribus inquiruntur ac effodiū-
tur: attamen propria rei essentiæ-
que ipsorum significatione ea sunt
corpora fossilia mineraliaque natu-
ra sua, dura, liquabilia, & que liqua-
ta in suam reducuntur formam na-
turalē, non tamen ductilia omnia.
Stibium enim, quod antimonium
multi vocāt, quanuis Georgio A-
gricolæ, & multis aliis rerum natu-

B

raliū peritis, metallum sit, non
 tamen malleo ducitur: imò fragi-
 le est: proinde excoctum in cati-
 nis, ac metallorum omnium in-
 star expurgatum, à stannifabris gla-
 ciale stannum, quòd glaciei instar
 frangatur, & à carbonariis Antimo-
 nii regulus, quo creberrimè vtun-
 tur, vocari solet. Lapidēs verò, ta-
 meti fossilia sint corpora, & horū
 quidā liquescant, attamen ex me-
 tallorum genere excipiuntur. Et-
 enim metalla liquata, refrigerato
 extinctoque calore, rursus ad suam
 redeunt nativam duritiem atque
 propriam formam. Sed liquati lapi-
 des (de liquabilibus loquor: quidā
 enim liquari non possunt) licet ad
 suam reducantur insitam duritiē,
 suæ tamen naturalis formæ iactu-
 ram faciunt. Cæterum variè à sub-
 terraneorum fossiliūque histori-
 cis diuiditur metallum. Nā in octo
 differen-

differentias distinxit ipsum Georgius Agricola, scilicet in aurum, argentum, æs, ferrum, plumbum album, quod stannum hodie vocamus, & alterum nigrum, vulgò plumbū appellatū, dein in stibiū & argentum viuū. Alii verò in plures: vt Ammonius, qui multas esse metallorum species nobis ignotas, vt & animatium & stirpium, autumauit. Chemistæ autem paucioribus contenti, tantum metalla sex, nempe aurum, argētum, æs, ferrū, stannum & plumbū, cæteris omis-
 sis, agnouerūt. Quod attinet ad argentum viuū (pace Georgii Agricolæ viri quantumuis eruditi dixerim) metallis ipsum esse enumerandum multas ob causas non video. Primū quòd metalli definitioni formæque non cōueniat. Nō enim est durum, nec vlla arte in metalli duritiem formamve cōcrescit, ne-

que liquabile existit, deinde quod
 ex metallorum materia haud fiat.
 Nam in illius materia plus est ae-
 reae substantiae quam aquae: atque
 ob id in duritiem nusquam concre-
 scit metallicā. Id sanè expressis ver-
 bis explicuit Aristoteles libro quar-
 to Meteoron. Ea (inquit) concre-
 scere non possunt, quae ad aquam per-
 tinent, cum interea plus aeris in se
 habent, ut oleum, ut gluten, ut
 argentum viuum, & si quid gluti-
 nosum sit, ut gluten & pix. Mox
 subdit ea concrefcere itidem non
 posse, quae liquoris aquosi sunt ex-
 pertia. Praeterea in metallorū mate-
 ria plus est aquae substantiae quam
 aereae, alioqui haudquaquam con-
 crescerent in duritiem. Sed de me-
 tallorū materia fusius suo loco di-
 cemus. Proinde ad metallorum di-
 uisionem, vnde paulisper fuimus
 digressi, redeūdum nobis est. Por-

rò omnia Physici, & qui rationales dicti sunt, hætenus metallum vt genus in suas species distraxerunt: Chemistæ verò istud aliter diuiserūt. Nam quidam, vt suã stabiliant Chemiam, metalla in perfecta & in imperfecta diuidunt, dicuntque duo tantum esse perfecta scilicet, reliqua quatuor imperfecta: perfecta quidem aurum & argentum: imperfecta verò ferrum, æs, stannum, & plumbū. Ex metalli definitione à Gebero tradita omnibus innotescet, quàm sit absurda hæc metallorum diuisio. Sic enim tertia parte libri fui de summa perfectione metallū finit: Est, inquit, Cap. 21. metallum corpus minerale, fusibile, sub malleo ex omni dimensione extensibile. Hæc autem metalli definitio non minus æri, ferro, stanno, & plūbo, quàm auro & argēto conuenit. Ergo æs, ferrum, stannum &

plumbū nō minus metallum sunt,
quā aurum & argētum. Adhac,
cū quæritur quid aurū sit, quid
ferrum, tum utrūque indiscrimina-
tim: corpus esse minerale, fusibile,
& sub malleo extensibile respōde-
tur. Quōd si nobis *καταβολοι* obiiciāt
aurū argentūque cæteris metal-
lis puriora lucidioraque esse, atque
propterea perfectiora concludant,
tum libenter illis concedimus cæ-
teris metallis aurum & argentum
temperatiora & splendidiora, sed
aliis perfectiora esse negabimus.
Etenim in animalium genere alia
aliis temperatiora & illustriora in
sua specie facilè conspicies: quidni-
gitur in metallorum genere idem
cōtingat? Præterea, si metalla quæ-
dam sunt imperfecta, & quædam
perfecta, omnibus sanè eadē nō cō-
uenit definitio: atque ob id vnā
his, & alterā aliis, vt probè discer-
nantur,

nantur, statuere debuerunt subtiles isti logici. Sed aliquid eorum inscientiæ condonare oportet. Adhæc, imperfecta metalla in suo genere non dum contineri possunt, donec metalli speciem & formam ad quam ipsa postremo destinata sunt, consequantur. Nam embrio in animalis utero haud prius animal dicitur, quam animalis formam sit affecutus. Frustra rursus nobis obiiciet quispiam sciolus metalla quædam dici imperfecta, ratione suæ imperfectæ mixtionis. Hæc enim imperfectio omnibus contingit metallis. Licet quidem ex imperfectè mixtorum corporum genere sint, attamen unum quodque in sua specie propter rationes commemoratas perfectum existit. His adde quod quæcunque essentialè habent formam, ea perfecta esse necesse est. Forma enim essentialis quæ Græcis dicitur *ἰντελεντία*,

id est, actus primus corporis, nihil aliud dici potest, quam huius corporis cui inest perfectio. Actus autem ipse naturalibus omnibus corporibus inest. Ergo corpora omnia in sua specie perfecta sunt. Quis negat præter bardum aliquem cincinnonem singula metalla suã habere substantialẽ formã, qua sunt? Plumbum enim haud metallũ esset, nisi speciei formæque essentialis metalli esset particeps. At verò plumbum esse metallum omnibus satis superque constat. Huc accedit, quòd pia natura rerumque naturalium parens in suo obeundo munere haudquam cessat, quiescitque, nisi impediatur, dũ scopum sibi propositum attigerit. Hoc nobis clarè ostenditur in generatione hominis, in qua subiiciuntur semẽ viri & mulieris, ac sanguis maternus: quorũ semen fit tũ materiale, tũ efficiẽs generationis

tionis principium, vt Hippocrates Gal. de fo-
mat. foetu. professus est: vel efficiens tantum,
vt autumauit Aristoteles: sanguis
verò quatuor humores complexus
tātū materiale existit. Nā ex vtriuf-
que semine in vtero concepto pri-
mūm mēbranæ circunvoluētes fœ-
tum conflantur: deinde venæ arte-
rięque, quæ quidem ex vteri venis
& arteriis, alimentum, hoc est, san-
guinem, alliciunt: deinceps ex vtro-
que semine cerebrum, nerui, aliæ-
que albæ partes producūtur. Mox
ex sanguine materno fit totū carno-
sum genus. Vbi autē iam fœtus est
formatus, eodēque quoque san-
guine ad partū vsque nutritur, &
augetur. A partu verò, lacte, quod
ex sanguine in mammarū glandi-
bus coquitur, mutatur & formatur.
Hinc ad interitū vsque, sanguine
ex quatuor humoribus cōflato, nu-
truntur augenturque omnes ani-

malis partes. Similiter in terra sua concipitur semen plātæ, quod pōst crescit, nutritur, ac tandem in plantam transformatur. Similibus exemplis liquidò patet naturam id semper perficere quod statuerit. Adde quòd materia, ex qua naturale fit aliquid, & circa quam versatur natura, tantisper mouetur, dum essentialem suam sit assequita formam. Quinetiã non secus metallū diuiserunt omnes eruditi viri quã lapidem, plantam, & animal. Sed hæc, vt genera, quæ vulgò subalterna vocantur, in suas infinitas proximasque species distraxerunt. Ergo metallū haudquaquã in imperfecta, & perfecta metalla, distribui par est, sed in suas species proximas, nempe aurum, argentum, æs, ferrum, stannum, & plumbum. Semper enim de multis specie differētibus dicitur genus. Ergo cum
 metal-

[REDACTED]

[REDACTED]

[REDACTED]

[REDACTED]

[REDACTED]

[REDACTED]

[REDACTED]

[REDACTED]

ignobilia & abiecta. Haud dubie
vnumquodque in suo genere no-
bile dicendum quod magis vlti ho-
minu comodat. At vero in metal-
loru genere ferrum magis commo-
dat hominibus quam aurum. Igi-
tur ferru quouis auro nobilius ef-
se censere debemus. Etenim piam
parentemque reru natura ad vsum
potius ferrum quam aurum moliri
nemo negat, nisi turpis auarus & in-
sapiens. Na si ferro carendum sit no-
bis, haud sane bene nobiscum age-
retur. Definito metallo, atque eo in
sua species distributo, ad illius or-
tum causasque progredi tempesti-
uum est. Omnibus Philosophis na-
turalibus est in confesso, duo ad rei
cuiusque ortum esse necessaria, sci-
licet materiam, quoniam ex nihilo
nihil fit: deinde, qui eam informet
opificem. Nihil enim seipsum effi-
cit ac format. Propterea in metallo
rum

rum generatione vtrâque causam nobis præcipuè inuestigare conuenit. Quoniã autem metallorũ ortui subiicitur materia, ideo hanc causam imprimis percurrere ac expedire nobis decretum est. Porro in horum generatione, atque reliquorum omnium mistorum duplicem oportet cõsiderare materiã: vnã scilicet generalem, seu cõmunem: alteram propriã & ex qua res proximè generantur. Prior quẽ remotissimam appellamus, ex elemẽtis quatuor sumitur. Ex his enim tanquã partibus simplicissimis omnia cõstitui corpora mista necesse est. Animalia, stirpes, metalla, lapides reliquãque fossilia, atque adeo reliqua mista quatuor elementorum qualitatibus concrecere ne quidẽ infans & fatuus dubium esse debet. Ex quo intelligimus ipsa quatuor mundi elemẽta predictorum

corporum vel³⁰ semina quædam,
quibus inter se quada nature pro-
portione connexis constituuntur
corpora: sed ipsis quoque dissipa-
tis in ea ipsa dissoluuntur. Cæterum
in concretis mistisque corporibus,
non actu, id est, essentialiter, sed
potestate ea subsistunt elementa:
alioqui consequeretur absurdum:
quoniam singula elementa, quate-
nus corpora sunt, suam habent ma-
teriã & formam. Sed corpus omne
vna tantum materia & vna forma
constat. Nam si ex vniuersa elemē-
torum mundi essentia corpus ali-
quod fieret mistum, quatuor & ma-
terias & formas totidē istud habe-
re necesse esset. Sic enim duo cor-
pora in vno subiecto constitue-
rentur. Sed duo corpora in eodem
subiecto aut loco esse nequeunt.
Ergo in concretis corporibus pote-
state tantum consistunt elementa

quatuor. Cæterû, quæ quatuor hæc
mundi elementa constituunt cor-
pora, vim illam cõponendi in se nõ
habent, sed in ea agit alia causa. A-
ristoteles vim illam elementa con-
nectendi in concretum corpus, aut
hoc dissoluendi in illa, cælorum
virtuti ac naturę vniuersæ tribuit.
Sed, pace Aristotelis dixerim, ele-
mentorum connexionis causam,
ipsa cælesti multò præstantiorem
esse existimauerim. Nam cælestis
virtus ad rerum propensiones, alte-
rationes, mutationesque tantũ per-
tinet. Sed ortus interitusque opi-
fex causa princeps Deus est noster
optimus & maximus, cui subser-
uit pia eius & fidã ministra natura,
quæ quoque elementorum quali-
tatibus, tanquã suis instrumētis, ad
alterandũ, generandũ & corrupẽ-
dũ vtitur. Hęc breuiter de materia
& opifice, quatenus vniuersales sũt

rerū omnium ³²generandarum cau-
sæ, dicta fuisse sufficiant. Sed nunc
propriarum proximarūque tra-
ctationi nos accingi tempestiuum
est. Quod enim ad metallorū ma-
teriam propriam & proximam atti-
net, de ipsa non omnibus authori-
bus eadem est opinio. Nam ea Ari-
stoteli est humidus halitus: sed
Georgio Agricolæ, & Iulio Scali-
gero aqua ab aliis elemētis perpe-
sa: Alberto Magno humor pinguis:
atque demum Chemistis ferè om-
nibus argētum viuum & sulphur.
Quamobrem vt eā, quæ vera pro-
priaque est metallorū materia per-
cipiamus, demōstrare singulorum
opinionēs nobis seorsum examina-
reque conuenit. Proinde Aristote-
les suo tertio libro Meteoron duo
halitus genera à calore moueri sub
terra constituit: vnum aridū, ex
quo res duræ, & quæ nō liquecūt,
vt

vt lapides, gignuntur: alterum humidū, ex quo metalla & cætera ferre omnia quæ igne liquefcunt. Georgius Agricola vir magni iudicii & scientiæ, subterraneorum peritissimus halitum humidum metallorum esse materiam quidem agnoscit, sed eam ipsorum proximam esse sequentibus verbis suis prorsum videtur negare. Qui, inquit, metallorum materiam halitum esse ait, nõ aliter dicit, quàm qui foetus materiam asserit esse sanguines maris & foeminae, ex quibus fiunt semina non ipsa semina sunt. Multis aliis utitur argumentis, quibus hæc Aristotelis opinionem refellere conatur: atque his diligenter expensis examinatisque facile cognoscitur Aristotelem iure à Georgio Agricola reprehensum. Siquidem in rerum natura accidere haudquaquam id potest, vt ab vno extremo con-

Lib de cau-
sis subter. 5.

trarióve, in alterú sine aliquó me-
 dio fiat transitus. Satis quidē omni-
 bus doctis cōstat cōtrariis prædita
 esse qualitatibus tū metalla, tū ha-
 litus: quòd hi tenuissimi, illa verò
 crassissima sint. Ergo in metallorū
 ortu halitus vaporésque necessa-
 riò prius in humoré crassescant o-
 portet, quàm in metalla coagmen-
 tētur & indurescāt. Proinde haud
 malè Georgius Agricola, & Iulius
 Cæsar Scaliger viri solertes aquā,
 nō quidē simplicē, sed mistā (nam
 ex simplici & solo elemento nihil
 concrefcit) & ab aliorū elementorū
 qualitatibus aliquid passām,
 metallorum propriam proximām
 que materiam statuerunt. Frustra
 quidam nobis obiecerit vaporem
 sub terra in aquam cogi, ac concre-
 scere non posse, ob halitus calidi &
 ficci præsentiam. Rorem autem,
 ac pruina, & similia ex vapore su-

pra

pra terrá densato & coacto gigni, postquá à calida & sicca exhalatione secretus est ille vapor, haud ignoramus: sed interim cōcretioni vaporis ī humorē aqueū nihil obesse potest exhalatio interna vaporis eidē adhuc cōmixta: imò exiccatione sua vaporis crassamētū plurimū nō iuuare nō potest. Calor autē exhalationis à saxorū frigore refringitur: quare vaporis cōcretionē in aquā prohibere nequit. Iam opinio- nibus Georgii Agricolę & Aristotelis de materia metallorū p̄xima expeditis, superest eadē via & ratione Alberti Magni, Geberī, aliorūque carbonariorū sententias de eadē causa percūrrere, ac summatim discutere. Albertus hanc materiā humorē pingue esse scribit. Licet huius opinionem ad eò difertē & acutē refellerit Georgius Agricola libr. v. de causis subterraneorū

vt argumentis eius ~~aliquid~~ addere
 superuacaneum sit: attamen dicam
 cum Aristotele in Meteoris ea, quæ
 Lib. 4. Cap. aquea sunt, in duritiem metalli cõ-
 crescere non posse, cū interim plus
 aeris in se continent quam aquæ.
 Hoc videre licet in oleis, argento
 viuo, pice, resinis, & glutine. At ve-
 rò pingua plus habere substantiæ
 aeris quam aquæ, tam manifestum
 est quam manifestissimum. Inter
 argumenta quibus hoc demonstra-
 ri possit, sufficit oleosorum & pin-
 guium leuitas, quæ sensui visus om-
 nium hominum obuia est. Cunctis
 enim liquidis supernatare videtur
 pingua. Non autem potest ab alia
 promanare substantia, hæc pinguiū
 & oleosorum leuitas, quam ab æ-
 re, qui suapte natura tenuis est,
 tum leuis & rarus. Igitur oriri qui-
 dem haud possunt ex humore pin-
 gui metalla, quæ crassa, dura, & gra-
 uia

via existunt. Explosa Alberti sententia, hinc ad aliam, quæ Chemistarum est, pergere conuenit. Hi porro ortus metallorum proximam materiam esse argenti uiuum & sulphur asserunt: quorum hoc agentis, illud uero materiae potissimum rationem habere pronuntiant. Atque adeo ex his duobus in terræ visceribus commistis concretisque oriri metalla: eaque varia, pro mixtionis ratione diuersa, atque amborum maiore uel puritate, uel impuritate concrescere. Verum quam procul sint à scopo suo, & aberrant à recta naturæ uia, iam nobis ostendere licet. Quod ad argentum uiuum attinet, metallorum materiam esse propriam istud uerisimile non est, quoniam huius materia vapor est multum aeris, sed in quo plus est aeris quam aquæ, ob id in duritiem haudquam concrescere potest. Metallorum

autē materiā in duritiē cogi neces-
 se est, alioqui haud metalli formā
 hęc indueret. Quinetiā sulphuris
 essentia, metalloū materia esse nō
 potest, quōd & alia cōstet materia
 quā metalla. Nā illud ex halitu ca-
 lido valde vnctuofo & sicco nasci-
 tur, authore Aristotele: hęc verò
 ex altero halitu calido humidō-
 que, & parū vnctuofo generantur.
 Porrò antea duplicē expirationem
 halitūve ex terra à calore cieri iā
 ex Aristotelis sententia demōstra-
 tū est: vnā scilicet aridā, quę exha-
 latio vocatur: alterā autem humi-
 dā, & quę vapor itidē dici solet. At
 ambas in terrę visceribus interdū
 cōnecti expirationes nihil obstat,
 & maximē si ex proximis excitetur
 locis, cū naturę sint homogeneę.
 Interdū verò pro locorū distantia
 atque etiā terrarum natura diuer-
 sa secernuntur: quò fit vt ex vtriusq;

varia.

varia tū sub terra, tū in aere fiāt me-
 teora. His adde quòd sulphur hu-
 more mollescit, istar salū : metalla
 verò solo igne forti liquātur. adhęc
 metallorū opifex nō potest esse sul-
 phur, eò quòd aquea calore coag-
 mētari cogiq; nequeūt: sed sulphur
 esse calidum ignorat nemo, præter
 bardū & insciū hominē. Præterea
 ex cōmuni rerū materia nihil defi-
 nitū procreari potest. Sed secundū
 Geberum, & reliquos ciniflones ar-
 gentum viuum & sulphur sunt na-
 turæ principia. Hoc enim testatur
 Geber tertia parte libri primi sum-
 mæ perfectionis his luculentissi-
 mis verbis: Dicamus, inquit, de me-
 tallicis corporibus, quæ sunt effe-
 ctus horum naturæ principiorum.
 Capite autē præcedēte hęc subiicit
 verba: Est etiā (de argēto viuo ver-
 ba faciens) materia metallorum cū
 sulphure. Quòd autē ex communi

rerum materia nihil determinatū
 progignatur omnibus philosophis
 in confesso est. Siquidem ex defini-
 to subiecto definitum quid produ-
 citur. Nihil sanè ex quolibet gigni
 potest, sed id fit, quod aptum tale
 fieri natum est. Semper enim pa-
 tiens patitur, quomodo pati potest,
 non autem quomodo necessarius
 agens, hoc est natura mutare niti-
 tur. Siquidem solius est summi re-
 rum opificis ex quolibet moliri
 quodlibet. Nam quatenus causarū
 omnium princeps existit, eatenus
 liber est agens, & propterea solius
 materię cuius inducit habilitatē,
 aptitudinēque suscipiendi hanc
 vel illam essentialē formā. Retor-
 quent cōfessiones in nos argentum
 viuum, quod ex singulis metallis
 arte sua elicere possunt: atque inde
 concludunt ipsa ex argēto viuo na-
 turaliter in venis terræ cōflari. Ta-
 meti

metſi argētum viuum ex metallis educant, non propterea conſequitur hæc ex argento viuo conſtare. Nam ex lacte calefacto & ſupramo dum agitato baculo eliciuntur butyrum, ſerum & caſeus, ex quibus tamen non oritur lac. Non fit enim à priuatione ad habitū reſreſſus, hoc eſt miſtorū generationes nunquā reſreſcūt ſed perpetuò procedunt, dum ad prima mundi elementa peruentum ſit. Hoc liquidò patet in ouo, ex quo fit pullus, qui corruptione ſui nūquam in ouum redit, ſed conuertitur in aliam formam & ſpeciē. Sola enim elementorum generatio eſt reciproca: aliæ autem ſemper procedunt. Rurſum nobis obiciūt decoctores aurū, argentūque arte ex argēto viuo effici poſſe, vt verius clariuſque nobis demonſtrent metallorum materiam eſſe hydrargyrum. Sed ex

dubio & controuerso antecedenti nihil valere potest consequens. Dubitatum est semper hactenus an arte fierent metalla. Ea de re Georgius Agricola, vir singulari eruditione librum de causis & ortu metallorum edidit in lucem, vbi diluitur clarè hoc dubium, & concluditur Chemiã esse fallacem, imposturisque refertam. Huc accedit quòd nusquã in aurũ argentũve aut in aliud quoduis metallum cõ crescere potest argentum viuũ, ob aeris copiã, quã hoc in se continet, & qua perpetuò naturalitèrque fluidũ existit. Ipsum autẽ arte indulescere haud negamus: sed in metalli duritiẽ formãve concrecere siue arte, siue natura non existimamus. Nam, vt inquit Aristoteles quarto libro Meteoron, quæ ad aquam pertinent, cum plus aeris in se continent quàm aqua cõcresce

Cap 4.

re non possunt. dein exempla subdit, vt oleum, argentum viuū, & si qui glutinosum sit. Itaque nostris argumentis metalla ex argento uiuo & sulphure, aut humore pingui non oriri adeo patet liquido, vt pluribus aliis deinceps uti non oporteat: sed ex aqua non simplici, quia ex ea mistum nō fit corpus, sed ab aliis elemētis perpeffa. Perspecta igitur metallorum proxima materia, tēpestiuum est ad reliquas ipsorum causas accedere, quarum opifex ordine imprimis occurrit. Hęc autem, vt materia, duplex est: altera generalissima, quæ ortus interitusque causa princeps existit, quęque omnia pro suo arbitrio mutat, vt liberum agēs. Quippe tum à Theologis omnibus, tum à præclaris philosophis Deus opt. maximus perpetuò dicta fuit, cui subseruit pia

Ari^o lib.
Phyc.

eius fidæque ministra. Naturâ hoc loco vocamus principiu & causam motus, quæ naturalibus inest rebus primò & per se, non autem per accidens. Huic quoque subministrât elementorum qualitates, quibus tanquam suis organis ad alterandum vitur & generandû, corrupendûmque composita naturalia. Hæc breuiter non solum de metallorum sed & reliquorû omnium generalissima effectrice causa sufficiant commemorata. Postmodam ad proximam nos accingi opportunum est. De hac autem, ut itidẽ de materia metallorum propria, cõtrouersantur causarû naturalium inuestigatores. Nam Astrologi & carbonarii cõplures ipsam ad erratium stellarû vim influxûque referunt: atque adeò sibi persuadent quodlibet metallorum talem habere similitudinem cû suo sidere,

fidere, qualem habet proles ad suū parentē. Ea de causa planetarum nominibus metalla appellarunt singula: aurū scilicet Solem, argentū Lunam, stannū Iouem, plumbū Saturnum, & denique argentum viuum Mercurium, atque totidem metallorum differentias esse, quot in cælis numerantur planetæ autumant. Quam autem delira sit atque falsa hæc opinio satis superque docet Georgius Agricola libro suo de ortu & causis metallorum. Quamobrem in ea refellenda hæud vltius prosequemur. Quianquā non ignoremus cælestē calorē per se, vel cū elementari generationes in terris & aqua impellere: sed tamen metalla cogere & formare impossibile esse post hæc demonstrabimus. Quod si rursum à stellarū vi coalescat metalla, vana est profectò Chemiæ ars: cum hac vi cælesti frui pro arbitrio car-

bonariis non liceat. Solius enim est
 Dei omnipotentis cęlestia, quò vult
 flectere ac ciere. Quare vis hæc cę-
 lestis ciniflonibus nihil cõferre ad
 opus suũ cõficiendũ videtur. Cęte-
 rum Aristoteles metallorum cau-
 sam efficientem frigori tribuit li-
 bro quarto Meteorõ. Quæ, inquit,
 caloris priuatione coierunt, calore
 deliquescunt, vt gelu, plumbum,
 æs. Sed huius opinioni tum Alber-
 tus, tum etiam carbonariorum ferè
 omnium turba refragatur, qui vim
 metalla efficiendi soli referunt ca-
 lori. Frigus, inquit Albertus, dicere
 causam esse efficientem metallo-
 rum non congruit cum naturali-
 bus rationibus. Generans enim,
 vt Peripatetici tradunt, est quod
 mouet & mutat materiam vique
 eò vt inducat formam. At fri-
 gus eandem non mutat, nisi se-
 cun-

cundum qualitatem. Nam substantiam potius constringit quam mutat. Ergo frigus non gignit metalla. Præterea materiam eorum, quæ à natura habent vitam, calor terminat, & in nouam vertit formam. Idem ergo metallis dat speciem. Idipsum verò hinc perspicuum est, quòd suas conseruant formas tam liquefacta calore, quam frigore constricta. Quòd si frigus daret speciem, non haberent eam nisi congelata. Igitur frigus non est causa ortus metallorum. His duobus Alberti contra Aristotelem argumētis breuiter respondemus, corpora scilicet inanima frigore: animata verò calore informari. Qualitates enim quæ maximè vim habent efficiendi, sunt calor & frigiditas: quarum efficacior calor est. Quare

merito perfecte ⁴⁸ in *istis*, nēpe anima-
tis, ut frigus imperfecte in *istis*, ut me-
teoris & fossilibus omnibus, quę in
animata sunt, debetur. Non negat
Albertus frigus lapidibus formā da-
re. Quidni igitur idē metallis conce-
dit, quę perinde inanima sunt cor-
pora, ac lapides. At Albertus disse-
rens de lapidibus quorundā mate-
riam ait frigore tanquā altero natu-
rę instrumento cogi. Ergo metal-
lis hoc nō denegare debuit. Quin-
etiam ibidē oblitus sui obiectionē
hanc diluit his verbis: Frigus, in-
quit, quanvis non possit dare for-
mam materię, quę futura sit ani-
mans, dare tamen potest ei, quę fiet
lapis. Ideo quōd res fossiles proxi-
mę sint elementis & elemēta dum
materię gignūtur non multū mu-
tantur, eorūque qualitates reman-
ent quodāmodo. His adde quōd
quęcunque igne caloreve forti li-
quescunt,

quescunt, vt liquabiles lapides
 ac metalla, à contrario nempe fri-
 gore coagmentantur: non tamen
 propterea negamus naturá ad me-
 tallorum procreationem subterra-
 neo vti calore, qui terrá & aquam
 non solùm eorum, sed & reliquorũ
 naturalium materiam remotissi-
 mam mouet, miscet, mutat, coquit,
 ac variè disponit. Deinde ex his e-
 lemētis varios intra saxa exprimit
 vapores, vnde variæ posthac gene-
 rantur metallorum differentiæ: vbi
 deinceps saxorũ frigore in aquá
 concrescunt, & tandem longóque
 tēporis protractu, atque adeò fri-
 goris saxorum cōtinuatione, & ter-
 ræ siccitate in hoc vel illud pro va-
 poris differentia metallum cogi-
 tur. Porrò qui, qualisque sit subter-
 raneus calor, & in quò caloris gene-
 re consistat, nobis explicádum re-
 stat. Omnis náque calor est vel ex-

D

ternus vel internus & insitus. Ex-
ternus rursus in elementarium &
caelestem distrahitur. Elementarius
simplex est calidorum elementor-
um, nempe ignis & aeris qualitas.
Caelestis vero caeli siderumque affe-
ctio formaeque calida, non quidem
vires instar ignis, sed temperata &
vitalis. Id sane non negat Aristoteles
in suis Problematis, ubi caelum esse
calidum profert. Internus autem, qui
insitus est & naturalis, in solis tum
plantis, tum animantibus consistit,
quo gignuntur, nutriuntur, fouen-
tur, conseruatur viua omnia, dum
ad interitum perducta fuerint. Si-
quidem insitus dicitur, quod in so-
lidarum partium plantarum & a-
nimalium humido primigenio in-
haerescat. Quidam ipsum vocant
germanum, quod ex stirpium &
animalium germine ortus sit. Natu-
ralis quoque idem dicitur, quod ho-
rum

Problem.
18. sec. 6.

rū ortus causa sit, aut his simul innascatur. Cōstat haud dubiè hic calor ex aliis duobus, nempe elementario & cælesti. Etenim cælestem suscipiūt elementa vt possunt. Proinde innatus ille calor haud qualitas est solitaria, sed, teste Philosopho, spiritus in spumoso seminis corpore contentus, calorē non igneū, sed Solis fiderūque calori proportione quadā respondentē. Ibidē subiungit ille animam omnē spiritum participare, in quo natura existit, quæ proportione quadā respondet. Ob id Galenū commentario in decimum tertium Hippocratis aphorismum rectè caloris innati substantiam esse aeream & aqueā scripsit: sicut, inquit ille, ex semine licet cōiectari, quod paucam omnino terream substantiam participat, plurimum autē aeris calidi & humidi in seipso continet. Deinde subiungit

Lib 2. de generat. animal. cap. 3

Philosophus bene temperatā esse
huius caloris natiui substantiam.

Cap. 3.

Quinetiā libro secundo de anima
lium generatione scripto reliquit

calorem naturalem foecunda effi-

cere semina omnium tum stirpiū,

tum animantium, non quia elemē-

tarius, sed quòd cælestis sit. Idem

Philosophus libro de sensu & sen-

sili dicit calorem hunc non solūm

stirpes & animalia gignere, sed i-

pforum alimentum tum parere, tū

augere, atque adeò quod leue est

attrahere, salsum amarūque relin-

quēs, & id omnino quod externus

calor in exterioribus corporis par-

tibus, hoc idem qui in natura ani-

maliū & stirpiū insitus est effi-

cere solet. Præterea libro quarto de

generatione animalium subdit ille

calorem naturalem ex concretis cor-

poribus humorem elicere, dein cō-

coquere, & post ex ipso spiritum

pro-

Cap. 6.

procreare. Alitur quoque natiuus calor, nō ex quolibet humore, sed leui & copioſo, cuius etiam penuria interit. Nā, quemadmodum docet Aristoteles problemate quinto ſectiōnis tertiæ, vt lucerna conſumpto oleo lumen ſuum amittere cogitur: ita de paſto abſumpto que alimento, quod humidū eſt primigenium, partiū ſolidarum calor naturalis extinguitur. Hæc de omnibus caloris generibus breuiter dicta ſufficiant. Super eſt ad calorem ſubterraneū, vnde digreſſi ſumus, redire, & ſub quo caloris genere hic collocetur, inueſtigare. Inprimis ſub cæleſti non mihi videtur ſuſſistere, & minus adhuc ſub inſito & natiuo. Quantum ad cæleſtem attinet, iam ſuprà à nobis demonſtratum eſt ipſum eſſe vitale atque viuificum. Sed ſub terra nullū ſoſſile mihi videtur viuere; quanuis

Cardano metalla viuane. Verum istud delirium esse, & hominis fanatici insomniū satis eruditis omnibus perspicuū est, qui, si uiuit, & hoc adhuc laborat affectu, elleboro indiget. Corpora enim imperfecte mista non uiuunt: nam carent uitæ & animæ organis, quorū homœomeria est, partesque tantū habent similes. Metalla autē sunt huiusmodi. Ergo non uiuunt. Cardanus regerit in nos incrementū lapidum & metallorum. cui respōsum volumus hæc fossilia crescere non nutritione, quia, ut dictū est, organis ad cibum attrahendum, attractum coquendū, & coctum distribuendū accommodatis, carent, sed additione eiusdem materiæ, quæ sensim simulque augetur, concrefcit & cogitur. Præterea Aristoteles Solis calorem, generationi plantarum & animantiū libro Physiçoiū
secun-

secundo tantum tribuere visus est. Ergo ipse calor non est author fossiliū seu subterraneorum corporū. Iam verò antea demonstrauius innatū calorem solūmodo esse plātis & animalibus insitum, & ipsorū solidis partibus ad interitū vsque inhærere. Itaque calor subterraneus in elementario genere consistit, cuius opera vtitur natura ad metallorum & reliquorū fossilium materias mouendas disponendāque ipsorum ortui. Explicatis iam omnibus metallorum efficiētibus causis, ostendere oportet æs, ferrū, stannum & plūbum, quæ à carbonariis imperfecta dicuntur metalla, nulla arte perfici cōuertique in aurum & argentū. Iam satis superque ex superioribus constat quatuor hæc metalla esse perfecta. Quare Chemistarum labor cassus esse videtur mihi, quē in ipsis perficiēdis

56
fufcipiunt. Quinetia quæ arte per-
ficiuntur & formantur, artificialia
funt. Sed metalla artificialia dici nõ
poffunt. Nã ex nominis metalli tũ
notione ac effentia definitione cõ
ftat cuncta metalla effe naturalia.
Ducitur autẽ nomen metalli à ver-
bo Græco μεταλλω, id eft perſcu-
tor, quòd perſcrutando è terræ ve-
nis effodiatur metalla. vnde Ouid.

Metam. li. i. Effodiuntur opes, irritamẽta malo-
rũ. Huc accedit quòd metalla om-
nia Gebero aliifque carbonariis
mineralia funt. Sed hæc naturalia
exiftunt, & à ſolo naturali princi-
pio ducuntur. Ergo metalla omnia
naturalia funt. Etenim, naturalia
omnia, teſte Ariſtotele, effectio-
nis ſuæ principium in ſe habent: con-
trã, quæ per artem efficiuntur, nihil
ipſorum ſuæ effectio-
nis in ſe prin-
cipium habent; ſed extrinſecus &
ab aliis quidẽ iſtud obtinẽt, vt do-
mus,

hyſ. libr. 2.
p. 1.

mus, & vnumquodque eorū quæ manu perficiuntur. Sed in terræ visceribus nullus, opinor, adest Chemista, qui ibi metalli alicuius materiam disponat, perficiat, & informet. Adhæc nulli materiæ (vt summatim absoluam) ars vlla naturalem indit formam. Ergo metalla nulla habētur artificialia. Negabūt mihi, fortè, aurifices, aurū se arte efficere, sed agricolarū instar naturam iuuare, impedimentaque eius tollere dicet. Verūm, pace ipsorum dixerim, lōgè aliter se res habet. Nam agricolæ tritici semē forma sua non exutunt, vt alteram de nouo ipsi infundāt, sed ipsum in terram bene subactā iaciūt: quodque ibi primūm ab humiditate terræ, & Solis calore intumescit, tum deinde vis formatrix, quæ ipsi insita inest, excitatur, & ipsum format, atque viuens efficit. Postea illud

ex attracto suo e terra alimento se-
ipsum auget, nutritque, ac fructū
tandem suae speciei producit. Por-
rò in hac tritici generatione forma
essentialis ipsi extrinsecus haud cō-
tingit, sed calore caelesti qui viuifi-
cus est, ex grani potestate educitur.
Vis autem haec formatrix solis in-
est seminibus, quòd animata sint
corpora, aliis autem subtātis, quæ
inanime sunt, denegata fuit. Quod
attinet ad agricolas, ipsi tātūm ter-
ram subigunt, vertuntque, vt post
ea Solis calorem, aerem, pluuias,
rorēmque facilius semē excipiat, il-
la, atque sic yberius alimentū huic
suppetat. Verūm ad transmutatio-
nem metallorū carbonarii aes, aut
aliud metallorū, quæ ipsis imper-
fecta dicuntur, sua exuunt forma,
atque aliā, auri scilicet vel argenti
per lapidem philosophicū ipsi in-
fundunt, & aurum argentūve il-
lud

lud efficiunt. Siquidē in toto Chemiæ opere omnino natura quiescit, & sola ars subiectū mouet: sed in agricultura natura molitur perficitque omnia, hoc est disponit semē, atque ad eò illud mutat, dū in triticū formetur. In summa, naturę nihil prorsus relinquunt decoctores, sed per se metallorū transmutationem exequentur. Quoniā in lapidē philosophorū incidinaus, vires rationemque suæ substantiæ depromere haud nos pigebit. In hoc enim totum consistit diuinæ Chemiæ mysterium, quod abscondere Chemistę sagaciores totis viribus suis conati hactenus fuerunt, atque prōinde istud enigmatis, figurisq; adūbrarunt. Verūtamen explicatis perceptisque his enigmatis, nihil aliud cōperitur esse lapis philosophorum, quā nuda auri argentiue forma, à suo abstracta concreto.

60

Quod si ita sit, nihil mirum est si à Chemistis mysteriū, abditāque habeatur causa: cum profectò nihil magis sit abditū, quam quod Chimera est, somniūve hominū delirantium. Etenim rerum formæ essentiales, quanuis à Metaphysico nudæ, abstractæque spectentur: per se tamen in rerum natura absque suis subiectis non consistunt. Humanæ tamen, quòd tum cęlestis diuinæque sint originis, tum etiam de subiectorum corporū potestate non eliciantur, sed extrinsecus suis accidant concretis, per se subsistere vbique possunt. Quòd si lapidē philosophicum auri argentive formam esse negent emissiones, nihil propterea moror. Quicquid enim hic sit, nequaquam metallorum essentiales formas conuertere potis est. Summi enim est rerū opificis, piæque eius famulæ naturæ opus.

Quòd

Quod si id præstaret philosophorū
 elixir, consequeretur metallis ex-
 trinsecus formas contingere. Sed
 quàm sit istud absurdum, omnibus
 sanæ mentis iudicādum relinquo.
 Solæ enim hominum formæ essen-
 tiales suis extrinsecus accidunt sub-
 iectis: cæteræ autem naturales de
 suarum materiarum potestate in
 actus ab agente causa educuntur.
 De his autem quæ materiis uniuo-
 cis induntur, loquor, puta de semi-
 ne canino, in quo potestate conti-
 netur canis forma, nō autem de il-
 lis quæ materiis æquiuocis impo-
 nūtur, qualis est muris forma, quæ
 naualibus quisquiliis putrefactis
 inditur: in quibus sanè forma non
 est in potestate materiæ, nisi sit po-
 testas recipiendi, sed est in agen-
 tis vi sita. Quinetiam si per metal-
 la fusa lapis diffundatur, absurdū
 aliud continget, naturales scilicet

formas extrinsecus ab vna materia
 in aliam promoueri ac transfundi.
 Fieri autem istud impossibile est.
 Etenim nō idem essentialibus con-
 tingit formis, quod primis elemen-
 torum mundi qualitibus. Nam
 illę definitum sibi possunt subie-
 ctum, vnde emanant, & vbi subsi-
 stunt. Hę verò in quavis materia se
 se promouent. Calor sanè in igne
 & in aqua, atque in omnibus aliis
 corporibus inferioris mundi exci-
 pitur. Vniuersam, vt summatim
 dicam, mundi substantiam quali-
 tates primæ obsidere possunt, ex-
 pulsa contraria. Aliæ autem quæ
 has consequuntur, non hoc modo
 è corporibus in corpora transfun-
 di queunt, sed necessariè in deter-
 minato cōsistunt subiecto, perin-
 de atque essentialis formę, quę an-
 tequam in aliquam se promoueat
 materiam, illā transmutant, suam-
 que

que efficiunt:quemadmodū in nutritione & augmentatione viuorū corporum perspiciuē intelligitur. Non enim panis ab hominis forma antè efformatur,quàm caro hominis sit factus,aut os, aut quid eiusmodi. In summa,solius est summi Dei & omnipotentis rebus formas essentielles tribuere,cui subseruit pia rerum natura,quę qualitatibus elementorum primis,vt suis instrumentis ad sua obeunda munia vritur. Adhęc si lapis philosophorum à seipso xri,plūbo,aut alii metallo, auri argētiue speciem introduceret,illud sibi assimilaret, sibi que efficeret,atque hoc modo philosophicū formaret lapidē aliū. Et enim agens vnumquodque naturale id omne sibi assimilat,in quod agit. Proinde bouis forma, herbis, quibus vescitur bos, formā indit, easque sibi similes p multas & va-

rias mutationes efficit. Postremò si
 naturalem formam metallis inderet
 philosophicus lapis, generans esset
 naturalis. Sed ipsemet nõ est ens na-
 turale. Ergo metallis naturalem for-
 mam non imponit, sed accidentaria-
 riam, quæ potest metallo cui indi-
 tur, adesse, & ab eo abesse sine me-
 talli corruptione. Haud dubiè ratio-
 nibus nostris accuratè perpensis, fa-
 cilè omnibus constabit æs, plum-
 bum, stannum & ferrum lapide phi-
 losophico, aut quouis alio pulvere
 proiecto, haudquaquam in auri aut
 argenti formam conuerti, sed tantum
 auri seu argenti colore imbui tingi-
 que. Essentiales enim formæ haud
 mutantur, nisi corrupto subiecto.
 Accidentia autem adesse abesseque
 possunt citra subiecti sui perniciem.
 Color igitur auri argenteus, quæ acci-
 dens sit, æri adesse potest sine huius
 interitu. Scribit enim Plinius æs ful-
 uum

uum fuisse factum candidum in Teuthrania circa Andream: in Lydia iuxta Tmolum montē Strabo. Hæc breuiter de lapidis philosophici vi & essentia ac metallorū transmutatione dicta sufficiant. Superest tādē ad reliquas ipsorum causas, nempe formam & finem, pergere. Forma in vniuersum, quæ admodum inquit Aristoteles, ratio est & definitio naturæ cuiusque. Hanc autem duplicem constituunt Philosophi, eò quòd rerum quædam naturales, quædam artificiales existant, quæ suam habent formam, quæ sunt. Vna naturalis habetur forma, quæ substantia est rei naturalis, huic essentiam atque agendi facultatem tribuens. Ob id Aristoteles libro Physicorum secundo ipsam vocat naturam, quæ naturale princi-

Lib. 2. Phy.
sic. cap. 3.

Cap. 2.

pium est, quo agit compositum naturale: hoc est, forma principium est actionis in corpore: instrumentum autem eius qualitas. Siquidem naturalis dicitur, quod à natura sit materiæ introducta, vel quod per naturam ex materiæ potestate educatur. Naturam hoc loco vocamus principium causam quæ motus ac mutationis rei naturalis. Altera forma accidentaria est, ab arte materiæ inducta. hæc quoque rerum artificialium substantia dicitur, propterea quod his essentiam tribuit, & vim agendi. Ergo naturalia formam naturalem, ut artificialia artificialem cuncta possident. Proinde metallorum cum naturalia sint corpora, formam qua existunt naturalem esse oportet, atque ideo ea quibus à carbonariis extrinsecus & arte Chemiæ intro-

introducuntur formæ, reuera metal-
 la non sunt essentialiter transmuta-
 ta, sed tantum fucata. Extrema cau-
 sarum quæ finis est, consequitur, cuius
 gratia cætera fiunt. Quonia cõplu-
 res sunt actus, seu rerum formæ es-
 sentialia, & artes scientiarumque, acci-
 dit ut plures quoque sint fines. Me-
 dicinæ nanque finis est sanitas, ar-
 tis extruendarum nauium, nauis,
 facultatis rei militaris, victoria.
 In summa, finis, est causarum cau-
 sa, quod propter eum fiant omnia.
 Fines autem duos constituerunt
 Physici, extremos scilicet & me-
 dios. Extremi dicuntur quod in a-
 ctione sint postremi: ut habitandi
 causa domus ædificatur, sanandi
 causa adhibetur etiam medicina,
 ut ratiocinandi, aut, & verius, Deum
 verum colendi gratia gignitur ho-
 mo. Medii vero ad artes maxime

Aristo lib. v.
 ad Nicomachum. c. a.

spectant, quamvis etiam hæc ad suum tendant finem extremum. Nam ad medicinam adhibendam medium finis est medicamentorum præparatio, extremus verò, sanitatis possessio. Metallorum autem postremus finis est perutilis in communem usum hominum. Nam si his careremus, malè nobiscum ageretur. Medium autem ipsorum finem, fabri, aurifices, monetarii, & cæteri alii pyrothecnici exequuntur. De metallorum accidentibus, ut pondere, colore, & cæteris, haudquaquam agere quicquã decrevimus, cum de his eorumque causis exactè abundèque tractaverit Georgius Agricola, metallorum scientiæ imprimis peritus. Superest tandem brevi epilogo in parca contrahere modum formamque qua vitur natura in terræ visceribus

sceribus producendo metalla. Primum pia natura rerumque parens suo instrumēto, nempe calore subterraneo, ex destinatis terris & aquis committis, quæ mistorum omnium ortui primò subiiciuntur, vaporem excitat: qui deinde intra saxorum terrarumque rimas venalique exceptus, frigore in aquam non simplicem, sed aliis elementis mistam concrefcit. Deinde longo temporis protractu ibidē increffatur, coagmentaturque, atque tandē in hanc vel illam transit metalli formam: prout ex hac vel illa terra & aqua excitatur vapor, qui quidem cum altero halitu sicco miscetur. Etenim ex alio vapore aurum, ex alio argentum, atque rursus ex aliis denique fiunt alia metalla, vnumquodque scilicet ex suo quopiam vapore cogitur.

FINIS.

Errata.

Pag. 3. hendecasyll. versu 4. bonus is sit. pagin.
10. linea 15. inus assumptum. pag. 21. lin. 1. omnes.
pag. 34. lin. 1. signantur. pag. 36. lin. 20. rum. pa-
gini 39. lin. 6. quod aerea & ignea. pag. eadem.
lin. 7. calidum aereum & igneum. pag. 14. lin. 15.
solum. pag. 31. lin. 11. respondentem referens.

